



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Locus à Causis. Cap. XXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

nes barbari horrere consueuerunt, inter epulas atq; conuiua, cōsummandæ crudelitatis profertur edictum; & à conuiuio ad carcerem, & à carcere ad conuiuiū, feralis flagity circunfertur obsequium: & paulò post; Quid crudelitati cum delicij;s? quid cum funeribus voluptati? Rapitur ad pœnam prophetæ conuiuiali tempore, conuiuiali præcepto, quo non cuperet vel absolui; perimitur gladio, caput eius affertur in disco: hoc crudelitati ferculum debebatur, quo, insatiata epulis, feritas vesceretur.

Locus à Causis. Cap. XXXIX.

CAUSA est, cuius vi sequitur effectus: sunt autem quatuor genera causarū, materia, forma, efficiens, & finis. In omnibus rebus, tam naturalibus, quam artificiosis, vt alio loco diximus, has quatuor causas facile est reperire. Materia est, ex qua res est. A causa materiali ducuntur ex sacris literis argumenta; In primis, quæ hominem ad modestiam excitent, vt in Genesi dicitur, hominē formatum esse de limo terra: quarè peccati Adam ob superbiam, Deus obiecit illum reuersurum in terram, de qua assumptus fuerat; quia, inquit, puluis es, & in puluerem reuertēris; et Abrahā coram Deo se deiecit, Quia semel cœpi, loquar ad dominum meum, cùm sim puluis et cinis. Hoc argumento Deus ad misericordiam inducitur: Recordatus, inquit Dauid, quoniam puluis sumus. & Iob: Memento, quæso, quòd sicut luum feceris me, & in puluerē deduces me. et Esaias: Et nunc, domine, pater noster es tu, nos verò lutum; & sicut noster tu, & opera manuē tuarū omnes sumus; nè irascaris, domine, satīs, et nè vltrā

50 DE RHETORICA ECCL. ES.

memineris iniquitatis nostræ. B. Basilius in opusculo pulcherrimo, quod inscripsit, Attē de tibi, hunc locum sic expressit: Exultas ob diuitias, & ob maiorum tuorum nobilitatem te iactas? & propter patriam & pulchritudinem corporis? attende tibi ipsi, quod mortalies, quod terra es, & in terram reuertēris.

A causa formalis.

Forma est id, per quod res est. A forma sic elicetur argumentum: Anima prediti immortali, cur nostras omnes cogitationes ac spes collocamus in rebus caducis ac terrenis? locum hunc explicat præclarè S. Bernardus: O anima insignita Dei imagine, decorata similitudine, redempta Christi sanguine, sponsata fide, dotata spiritu, deputata cum angelis, capax beatitudinis, quid tibi cum carne? poterit sapere orator Ecclesiasticus hac vti argumentandi formula: Omnia virtutum forma cum sit charitas, enitendum est, ut omnes nostræ actiones charitate informantur.

A causa efficiente.

Causa efficiens est, à qua aliquid est: ut, Sol diem efficit. Probat propheta Deum humana curare, argumento sumpto à causa efficiente: Qui plantauit, inquit, aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? apud Esaiam dominus potentiam, sapientiam, bonitatem suam ex creatione mundi probat; ubi pollicetur, se curam habitum Israelis, propterea quod eos creasset: Audite, inquit, me domus Iacob, qui portamini à meo utero, qui gestamini à mea vulva; usque ad senectam ego ipse, usque ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram; ego portabo, & sanabo. Apud eundem prophetam, se Christo man-

gnam

gnam multitudinem regeneraturum, hoc ipso argumento ostendit: Nunquid, inquit, ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus: & ego, qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero? D. Paulus ad Corinthios scribens, Baptismi vim demonstrat: propterea quod non ab hominibus, sed a Christo sit.

A causa finali.

Finis est, cuius gratia omnia fiunt. Sic argumentari poterit orator: Homo ad consequendam vitam aeternam est formatus; stulti igitur, qui in voluptate, in divitijs, in honoribus beatitudinem collocant. amplificandus est hic locus, qui ainde omnia peccata, omnes etiam calamitates oriuntur; quod ignoramus, ad quem finem celi & terrae Dominus in hanc lucem nos emiserit; nimis umerum, ut ei servientes, nobis attenderemus, & ad vitam aspiraremus aeternam. Propheta ex hominis fine demonstrat, quibus rebus possimus ad vitam peruenire aeternam; Quis ascendet, inquit, in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? innocens manibus & mundo cordo. Totus liber, qui Ecclesiastes dicitur, hoc potissimum ostendit, quis sit verus hominis finis, & quibus rebus illum sibi quisque comparare possit. proposita premij & finis magnitudine, sèpè sacrae literæ nos ad Dei præcepta obseruanda, & res aduersas aequo animo tolerandas, hortantur. Paulus ad Romanos ita scribit: Non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Locus ab effectis. Cap. XXX X.

EFFECTA sunt ea, quæ sunt orta de causis. horum, ut causarum, quatuor sunt genera. Quæ autem sint

E S singu-